

valde incertum, quando incœpit glorificatio bonorum Angelorum, et cui tempori nostro correspondeat, an illi primo diei in quo dicit hæc sententia creata esse omnia, an alteri durationi, et tempori post. Nam certum est Angelos non in eodem instanti quo fuerunt creati esse beatificatos, sic enim nulli peccarent, sed habuerunt viam pro aliquo instanti, et postea glorificati sunt, illud autem instans primum, non scimus, cui et quanto tempori nostro correspondeat. Unde cum post illud fuerit glorificatio, post illud instans incœpit primum mane Angelorum, seu matutina cognitio, ergo potuit contingere, quod inciperet post transactum primum mane Angelorum, seu matutina cognitio, ergo potuit contingere, quod inciperet post transactum primum diem in quo Deus cuncta creavit, et sic non relinquitur aliquod mane pro illis diebus angelicis componendis in quos distribuitur illa dies ab ista sententia.

X. Quod si dicatur dies istos angelicos non numerari penes plures cognitiones Angelorum neque intra, neque extra Verbum, sed penes diversa cognita in eadem cognitione, et hæc plura cognita fuerunt illa sex opera Dei facta in illo primo die. Contra est, primo quia in illa prima die non fuerunt sex opera illa in actu, sed tantum quatuor, scilicet quæ usque ad quartum diem narrantur. Reliqua, ut productio plantarum, et animalium juxta istam sententiam solum in potentia tunc fuerunt, ergo non potuerunt esse actu cognita, ergo neque sex dies tunc distincti in cognitione angelica. Secundo, quia si fuerunt solum plura, ut res cognitæ in illa unica cognitione, utique solum fuerunt plura cognita, ut objecta materialia, ratio enim formalis debuit esse una, si cognitio erat una. Sic

autem multo plura fuerunt objecta cognita, quam sex nec est ulla ratio cur solum ad sex restringatur. Nam in cœlo sunt decem spheræ, et in illis tot astra, et planetæ specie diversa, est etiam cœlum empyreum, et in hoc mundo quatuor elementa, et in illis tot opera facta a Deo, ut firmamentum in aere, discoopertio terræ, congregatio aquarum, germinatio plantarum, et herbarum in quibus infinitæ species sunt, sine hoc fuerit tunc per germinationem in actu, sive per collationem virtutis ad germinandum; et similiter opera facta in quinto, et sexto die, hæc omnia materialia objecta, et res ita distinctæ, cur dicuntur solum efficere sex dies, id est, sex repræsentationes ex parte rerum cognitarum, cum res cognitæ sint multo plura? An quia Deus tamquam sex distincta opera fecit? Sed hoc est, quod inquirimus quomodo sint sex, cum plura sint facta a Deo. Unde ergo et quo fundamento dicitur omnia illa objecta solum in sex partes, seu in sex objecta cognita esse divisa a conceptibus, et cognitionibus angelicis. Et hoc in quo Angelo? Cum unus plus dividat, et multiplicet conceptus, alius plus uniat. Itaque totum hoc jacitur ad incertum.

XI. Fundamenta opposita sunt. Primo, quia Ecclesiastici xviii, dicitur: *Qui vivit in æternum creavit omnia simul*. Ergo non successive, ergo non per dies. Et ita locus iste cogit explicare loca Genesis secundum aliquam metaphoram. Nec potest dici loqui Scripturam de creatione pro opere creationis rigorose sumpto, quo creavit cœlum et terram; sic enim falso apponeret ly omnia absolute, et sine restrictione, nec enim omnia tunc creata sunt, sed solum cœlum et terra, et elementa, reliqua non sunt illa creatione facta. Secundo, quia in capite secundo Genesis ubi fit recapitula-

tio omnium, quæ dicta sunt primo capite dicitur: *Istæ sunt generationes cœli et terræ in die qua creavit Dominus cœlum et terram, et omne virgultum agri, priusquam germinaret*. Ex quo loco colligit Augustinus utramque partem suæ sententiæ. Primam, quia dicit: *In die qua creavit cœlum et terram, et omne virgultum*, ergo illa omnia pertinuerunt ad unum diem, ergo non fuerunt plures. Secundam, quia dicit quod creavit virgultum antequam germinaret, ergo non est productum in actu, sed in virtute, et potentia, quia antequam germinaret non erat actu. Tertio, impossibile est, quod Deus consumeret integrum diem in producendis piscibus, et volatilibus, in formandis luminaribus, in discoopertienda terra, etc. nam quodlibet istorum operum faciebat in instanti, nam solum dicendo faciebat: *Dixit enim et facta sunt*, dicere autem Dei est instantaneum. Ergo præter unum instans, toto reliquo tempore illius diei erat Deus otiosus, quia non faciebat aliud opus usque ad aliud instans alterius diei. Hoc autem est omnino superfluum, quia si de uno die solum occupabat unum instans, et reliquum diei vacabat, ad quid dicitur quod successive per plures dies faciebat, sed pluribus instantibus discretis, et multo convenientius est, totum reducere ad unum diem, vel unum instans, et non plures dies erogare solum de quolibet sumendo unum instans. Quarto, quia si distinguuntur primi sex dies, quia Deus in quolibet eorum uno instanti operabatur, et reliquo tempore vacabat, ergo non poterit septimus dies ab illis distingui, quia in septimo die nullo instanti operatus est, et sic nec dies illa, seu duratio illius diei est facta, quia non fit tempus, seu dies, nisi faciendo rem talis durationis, et temporis. Si autem nullam rem facit, nec diem facit. Si

autem intelligitur, quod fecit tunc id quod pertinet ad propagationem, hoc non pertinet ad unicum instans, neque ad solum septimum diem, sed ad totum tempus usque nunc, quomodo ergo in illo opere sumitur septimus dies determinate tantum? Quinto, virtus Dei maxime ostenditur potens, et summa, quanto breviori tempore plura operatur, ergo dividere non debuit sic successive opera sua. Nec id exigebat ostensio suæ sapientiæ, quia sapientia ostenditur in ordine multarum rerum, et non plurium actionum. Quid enim sapientiæ ostenditur in hoc quod hodie uno instanti operetur istas, vel illas res, et reliquum tempus diei vacando, altero die iterum, alio instanti plures alias res faciat? Cum maxime ostendatur sapientia in eo, quod ea quæ facit inter se ordinata relinquat, etiam si unica actione fiant, quia sapientis est ordine.

XII. Ad primum respondetur quod in illo loco Ecclesiastici illud verbum simul potest intelligi, vel de simultate continuationis, ita quod solum opponatur interruptioni, et est sensus sine ulla interruptione, seu una vice creavit omnia; vel potest intelligi de simultate aggregationis, ita quod non construatur cum ly creavit, sed cum ly omnia, ut sit sensus hæc omnia simul, seu totum hoc aggregatum creavit ille qui vivit in æternum, quia nihil est in omnibus his simul sumptis, et in toto aggregato quod ab alio principio processerit. Vel potest intelligi de simultate durationis, quia scilicet omnia unica duratione, vel instanti produxit. Aut denique de simultate adunationis, qui omnia simul, non dispersa, sed adunata, et inter se concatenata creavit; et sic iterum ly simul non construitur cum ly creavit, sed cum ly omnia, ita quod fecit omnia esse simul, id est, adunata, et conjuncta in hoc

universo, unum cum alio vinetum, et conjunctum. Omnes istæ expositiones videntur probabiles, et sine violentia possunt accommodari litteræ. Et nulla illarum (præter tertiam) postulat ut in uno instanti, seu uno die producantur omnia, sed una vice, una sessione, quæ potuit aliquam durationem habere juxta bene placitum Dei. Tertia vero expositio loquitur de simultate durationis, et traditur a D. Thoma hic articulo II ad II. Nec obstat illud verbum omnia, cum dicitur quod creavit omnia, quia etiam verificatur omnia esse creata, quando factum est cælum, et terram per creationem, scilicet in sua materia elementari, aut formabili ex qua postea processerunt in actu. Omnia ergo quæ ex nihilo creata sunt, simul, id est, in instanti primo facta sunt.

XIII. Ad secundum respondetur neutram partem illius sententiæ sequi ex illis verbis. Non primam, quia textus Scripturæ sic dicit: *Istæ sunt generationes cæli et terræ quando creata sunt, in die, quo fecit Dominus Deus cælum et terram: et omne virgultum agri antequam oriretur in terra, omnemque herbam regionis prius quam germinaret.* Ubi sunt tres clausulæ. Prima resumit generationes nuper recitatas cæli, et terræ, quando creata sunt. Ubi ly quando designat durationem, seu tempus, quo res istæ factæ sunt, non unius diei, aut unius instantis, sed eo tempore, et illis diebus, qui etiam superius capite primo recitati fuerunt. Secunda clausula est: *In die quo creavit Deus cælum, et terram:* ubi ly in die ponitur in singulari ad designandum primum, et principalem diem in quo creata sunt cælum, et terra, quia vere in illo primo die creata sunt, et ita ly in die solum ad cælum, et terram referuntur. Tertia clausula est: *Et omne virgultum agri*

*priusquam oriretur in terra.* Ubi videtur continuari illud verbum fecit, aut creavit Deus, ne maneat clausula suspensa. Sed non est necesse, quod si verbum fecit referatur ad ly omne virgultum agri, etiam referamus ad ipsum illud verbum in die, ita quod sit sensus in die, quod Deus fecit cælum et terram, fecit omne virgultum agri; hoc enim non cogimur dicere ex vi verborum Scripturæ, sed intelligere possumus, quod illud verbum quando creata sunt, quod complectitur omne tempus, quo istæ generationes sunt factæ, referatur etiam ad omne virgultum agri, scilicet et quando fecit omne virgultum agri, et omnem herbam regionis; ly autem in die solum referatur ad cælum, et terram. Nec enim in hac constructione est aliquid inconueniens, imo magna consonantia, quia virgultum agri, et herba est una ex generationibus comprehensis in illis verbis: *Istæ sunt generationes cæli, et terræ quando creata sunt,* non autem ex comprehensis in illis verbis: *In die quo fecit cælum, et terram,* quia herba, et virgultum non sunt cælum, et terra, sed generatio cæli, et terræ. Ergo melius construuntur cum ly quando creata sunt quam cum ly in die quo fecit cælum, et terram. Si autem instanter quis velit quod etiam virgultum agri construendum est cum ly in die quo fecit cælum, et terram, tunc dicendum est cum D. Thoma ad primum, quod in illo die facta est herba, et virgultum in potentia, et virtute, scilicet in illa re unde postea germinavit, sed in actu in die tertia in qua ponitur a Scriptura, tunc enim fuit tempus istius generationis.

XIV. Secunda etiam pars illius sententiæ non probatur ex illis verbis, quia cum dicit: *Et omne virgultum agri priusquam oriretur in terra,* non intelligitur quod fecit Deus om-

ne virgultum priusquam oriretur absolute, et in actu, sed priusquam oriretur modo consueto, quo oritur et pullulare solet in terra. Unde non dicitur priusquam oriretur de terra, sed priusquam oriretur in terra, id est, eo modo, quo solet oriri in terra.

XV. Ad tertium dicimus Deum fecisse omnia dicto suo, et actione instantanea, et indivisibili, imo et æterna ex parte Dei, sed successiva, et temporali ex parte rerum factarum magis vel minus brevi tempore, aut aliquando etiam instanti in eodem die, prout sapientia divina disponebat. Dictum enim divinum quod ex se est instantaneum, non ponebat res a se factas in instanti, sed procedebant ab illo dicto pro tempore juxta mensuram divinæ sapientiæ, sicut etiam modo in hoc tempore gubernat ea quæ fiunt successive; et pro diversis temporibus eodem dicto, et imperio suo, quod est instantaneum ex parte sua. Unde non vacabat, nec erat otiosus Deus reliquo tempore unius diei, quo aliqua opera faciebat, quia illud dictum, et imperium Dei comprehendebat totum tempus illius diei, ut in eo successive fierent opera, quæ fieri volebat: sicut cum quinta die dixit Deus: *Producant aquæ reptile, et volatile,* intelligendum est quod illud dictum imperabat ut tota illa die ebullirent pisces, et aves ex aqua, modo isti, modo illi; et cum die quarta dixit ut fierent luminaria in cælo, dictum illud comprehendit totam diem, ut in illa omnes motus, et aspectus siderum, et planetarum disponerentur, sicque determinarentur eorum virtutes. Bene verum est quod in sexta die formatio Adam, et Evæ potuerunt esse instantaneæ propter rationes supra allegatas, et formatio animalium non fuit per totum diem; quia creato Adam adducta sunt omnia ad illum,

sed summo mane brevi aliquo tempore, aut paucis horis, eo quod illa die multa oportebat facere, quæ reliquum tempus occupabant, et ita imperium Dei determinabat, quod in illo die hoc opus esset in instanti, illud in brevi tempore, aliud in alio.

XVI. Ad quartum dicitur, septimum diem non distingui ab aliis penes opera de novo facta in ipsa, sed penes administrationem, et gubernationem operum jam factorum, quæ exinde administrantur per omnes dies usque ad finem mundi. Nec dies isti distinguuntur ratione operum in eis faciendorum, sed ipso motu cæli, et solis dies distinguuntur, et plurificantur primo et per se, tam sex primi, quam iste septimus. In ipsis vero sic distinctis facta sunt diversa opera, vel de novo incipiendo ex primis diebus, vel administrationem creaturæ incipiendo sicut in septimo.

XVII. Ad quintum respondetur, quod virtus tanto ostenditur major, quanto breviori tempore potest facere plura potestate quasi in actu primo, sed tanto ostenditur sapientior, quanto in actu secundo convenientius dispensat hujusmodi modum operandi, et unicuique naturæ, et rei faciendæ se accommodat, ita quod ex parte rerum factarum quædam facit in instanti, quædam successive, quædam breviori tempore, quædam longiori. Et sic fuit in præsentī, quod creavit ex nihilo cælum, et terram in instanti, elementa distinxit, et ornavit successive, et quædam integro die, quædam breviori tempore fecit, etc. Ordo autem sapientiæ non solum ostenditur in ipso ordine, qui in facto esse conservatur in rebus jam factis, sed in ipso etiam productionis modo, et dispositione faciendi, ut non mixte, aut confuse fiant, sed ordinate, et procedendo de imperfecto ad per-

fectum juxta quod istæ naturæ postulant, et earum etiam limitationem ac dependentiam in hoc ostendendo.

XVIII. Ex hoc autem manent exclusæ aliæ sententiæ, quæ concordantes cum Augustino in hoc quod omnia illa sunt producta a Deo una die, modum tamen et rationem, quare dicantur sex dies non referunt ad distinctas cognitiones angelicas, seu diversas res cognitæ; sed vel ad ipsam ordinationem sex præcipuarum perfectionum universi, quæ ita sunt ordinatæ, et graduatæ inter se, sicut diversi, et successivi dies ordinantur, et perinde ac si diversis diebus ordinarentur, vel quod isti dies concomitanter solum se habebant in productione istorum operum quasi producta tali opere dicatur, et simul factum est vespere, et mane talis dies quartus, vel quintus, etc. Quæ est explicatio Cajetani. Vel etiam ut alii dicunt sicut Cano super istum articulum quod locutio sex dierum debet intelligi conditionate, id est, quod si Deus ad instar humanorum artificum operaretur, sex diebus hoc universum faceret, sicut dicimus quod instans fluens facit tempus, et punctum fluens lineam, id est, si posset fluere faceret lineam, aut tempus.

XIX. Sed explicationes istæ fundamento carent. Nam in primis totum hoc alienum est a sermone historico, quo nobis traditur narratio institutionis, et creationis hujus universi, ad quid enim deservit omittere veritatem ipsam historicam, et non dicere quod totum hoc fuit factum una die, si vere ita fuit, et tradere nobis hanc historiam per quasdam comparationes, et allegorias et proportionales, quod rem totaliter reddit obscuram, et nihil certi tradit? Et deinde si dicitur totum hoc universum creatum sex diebus, quia ordinatio perfectionum ejus sic est

ordinata sicut sex dies successivi etiam poterit dici sex horis, aut sex minutis, aut sex mensibus vel annis facta, quia in ipsa ordinatione, qua perfectiones istæ graduatæ sunt, cum his omnibus proportionem habent, quia etiam ordinata sunt omnia ista successive, nec est major ratio quod illa ordinatio perfectionum comparetur in proportionem cum sex horis vel sex annis, quam cum sex diebus. Dicere autem quod illud tempus diei, quod ponit Scriptura solum concomitanter se habet cum operibus tunc factis, est impossibile, quia illa opera pertinent ad hunc modum visibilem, et maxime ad hæc inferiora, et illud tempus erat revolutio cœli spatio viginti quatuor horarum, ergo repugnat solum concomitanter respicere illa, et non regulative, quia natura sua sunt subjecta illi motui ut regulæ. Illa autem conditionalis m. Cano etiam nihil certi nobis tradit, nam sicut dicitur quod si Deus more artificum humanorum faceret, sex diebus faceret, etiam posset dici, quod sex annis, et plusquam sexcentis, quia more humanorum artificum non dico sex diebus, sed neque sex, aut sexcentis annis posset tanta machina rerum fieri. Quare ergo magis dicitur mundus factus sex diebus, quam sex vel sexaginta annis, cum tam bene possit fieri illa conditionalis pro sex annis, quam pro sex horis, et pro multo pluribus? Et unde habetur quod si more humanorum artificum Deus operaretur, solum sex diebus totum hoc faceret, non pluribus? Et si Deus fecit omnia mixta de facto, et in actu per unum diem integrum qui constat viginti quatuor horis, cur non per sex dies veros, cum respectu Dei tantam habeat difficultatem dicere, quod fecit per sex dies vel per sex, aut viginti horas, si semel successive operatus est?

CIRCUMSTANTIÆ ALIQUÆ IN HAC UNIVERSI PRODUCTIONE A SCRIPTURA OBSERVATÆ EXPLICANTUR.

XX. Ex multis paucas attingemus quia non expositive, sed scholastice rem hanc tractamus; et ideo, quæ solum ad controversiam scholasticam trahi possunt, explicabimus.

Primo igitur occurrit illa circumstantia, quod dicitur: *In principio creasse Deum cœlum et terram*, ommissis ex parte mundi elementalis tribus elementis, igne, aère, et aqua: ex parte coelestis, nulla in speciali sphaera explicata, sed solum generico nomine cœli: ommissa etiam omni productione spiritualium substantiarum, seu Angelorum, de quibus tanta mentio postea habenda erat in Scriptura: illud etiam in principio non significatur, an sit in principio temporis, an in principio agente, scilicet in Filio per quem facta sunt omnia, et si est in principio temporis, non potest stare, tum quia illud principium non fuit instans, quia non fuit mutatum esse; tum quia immediate post non incipit motus, quia non incœpit dies, nec enim erat lux; ergo non bene illa explicantur.

XXI. Respondetur, in primis excludendum esse errorem eorum Philosophorum vel ethnicorum, qui putabant aquam non esse factam, et esse quasi materiam coævam ipsi Deo, qua ratione fingebant deos jurare per aquam stygiæ paludis, quia erat aqua illa omnibus rebus antiquior. Quod si inde vellet hic error firmari, quia in hoc capite primo non dicitur creata aqua, convincitur ex alio loco Scripturæ Judith ix, ubi dicitur: *Deus cœlorum creator aquarum*: convincitur etiam ex eo quod aqua subicitur operationi divinæ, et imperio ejus, ut cum divisit aquas ab aquis, et cum dixit ut congrega-

rentur aquæ in locum unum; unde dicitur Job xxvi: *In fortitudine illius repente maria congregata sunt*: non potest autem subjici imperio, et operationi Dei, quod non est creatura ejus, et ab eo dependet. Dicimus ergo Scripturam in opere creationis solum numerasse extrema, summum et infimum, cœlum et terram, ut intelligeremus etiam contenta inter cœlum, et terram, quasi diceret quod creavit a cœlo usque ad terram, et nihil intra hæc duo extrema inter hoc infimum, et illud summum inveniri potest non creatum a Deo, et sic brevi compendio omnes partes universi esse creatas significavit, dum ipsa principalia cæteras ambientia significat; quod etiam alibi expressit Scriptura, quod hic compendio dixit, scilicet Esther xiii: *Tu fecisti cœlum, et terram, et quidquid cœli ambitu continetur*, insinuans nobis, quod cœlum, et terra, non significantur simpliciter in Scriptura, sed ut ambientia, seu contentiva aliarum. Et cum postea, tam multa de aquis ex imperio Dei facienda, debet commemorare Scriptura, non videtur fuisse necesse sigillatim de creatione aquæ meminisse, sed sufficere exprimere imperium, et fortitudinem Dei super aquas ferri, ut ex illis faceret quod vellet; exinde enim colligi poterat, quod aqua erat ab eo facta, quia ei subjecta. De aere et igne sigillatim etiam mentionem non fecit, quia ista elementa minus visibilia nobis sunt, unde magis voluit esse inclusa quam expressa in ista creatione. Sed tamen specialiter aerem nobiliori vocabulo appellavit, vocando ipsum cœlum seu firmamentum cœli, tum quando dictum est: *Fiat firmamentum in medio aquarum*; tum in opere quintæ diei, cum dicit: *Et volatile super terram sub firmamento cœli*. Unde cum de illo statim mentionem facturum erat sub